



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 9. In Assumptionis urbe gesta narrantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

in itinere ipse Provincialis ac Socii singulis diebus nostræ Fidei rudimenta explana-  
bant: donec Assumptionis urbi proximis, adnitente Rocho Gonsalvio, obviam  
procederet Guaicuræorum navigiolum, intextis arborum ramis atque floribus ex-  
ornatum, quo Guaicurææ gentis Ducis filius vehebatur, postulaturus ab Pratore,  
& Inspectore Regio, ut suo patri facultas daretur utrumque in urbem conveniendi.  
Grata fuit ambobus postulatio, concessumque Duci, ut ad urbem officiorum ergo se  
conferret. Interim hoc datum nobilis pueri honori, ut Prator & Senator Regius è  
suo in Guaicuræorum navigium transirent, ac reliquum iter cum eo perficerent.  
Porro in diversas partes industriasque Rochus Gonsalvius & Vincentius Griffius se  
biennio torserant, ad eam gentem cicurandam: nullo fermè eventu, nisi quod in  
morte nonnulli baptizati se siverant: quocirca de Sociis retrahendis agitabatur.  
Sed intercessit gentis Dux, magno suorum comitatu cum Rocho Gonsalvio in ur-  
bem invectus, qui Barbaro more peractis cum Pratore & Senatore Regio gratula-  
tionis officiis, Didaco Torres Provinciali duodennem filium Sacris nostris initian-  
dum lubens volensque tradidit: quo publico apparatu, Pratore ac Visitatore  
Regio sponsoribus, baptizato, ac Duce utcumque donis conciliato, sperabatur  
fore, ut Barbari aliquousque mitescerent: quapropter decretum, ut Societas in ea  
regione perseveraret.

*Guaicuro-  
rum perti-  
nacias.*

**CAPUT  
IX**

*In Assum-  
ptionis ur-  
be gesta  
narrantur.*

*Alfari Le-  
ges.*

*Societati no-  
va Provin-  
cie assignan-  
tur.*

*Regis Catho-  
lici in Socie-  
tatem affe-  
ctus.*

*Societatis  
temperan-  
tia.*

*Societas ex  
Assumptionis  
urbe discedit*

**TUR**  
*Et redit.*

**CAPUT  
X**  
*In Sancti Ja-  
cobi Tuc-*

**D**IMISSIS Barbaris, Franciscus Alfarius, negotio suo intentus, servitium per-  
sonale per Paraquariam abrogat: sed quia plerique Paraquariensium, Indorum  
servientium, nihil planè tributi loco solvendo erant: ita rem temperavit, ut singu-  
lis annis menstruum Indorum servitium, vice tributi, Hispanis concederet: reli-  
quis, verò mensibus Indos ita liberos esse voluit, ut qui eorum operâ uti vellent,  
mercede conducerent; legesque alias condidit æque Barbaris ac Hispanis utiles.  
Quas ferè omnes Rex Catholicus (nisi quodd bimestre servitium pro menstruo Hi-  
spanis esse concesserit) æternas esse iussit. Ne verò impostero Ethnici vexationis  
metu à capessenda Fide absterrentur, Societati Paranam, Guaicuræorum regio-  
nem, & Guairaniam eâ lege assignavit, ut Barbari, ab ea ad oppida reducti, in com-  
mendam, ut vocant, privatis hominibus nullo modo traderentur; & Socii sumptibus  
Regis alerentur. Atque ut tanta res perpetuam vim haberet, Regis Catholici lit-  
teræ, proprio motu & affectu in nostrum Ordinem scriptæ, lectæ sunt, quibus  
Societas ad Barbaros Christianæ Religionis conciliandos maximè probabatur, &  
Regiâ pecuniâ ali jubebatur. Illud hic notâ dignum, quod cum Alfarius nostris  
Sociis Indorum curam in novis oppidis gerentibus, gesturisque, eam pecuniæ sum-  
mam annuatim ex arario dari juberet, quæ Indorum in Peruvia Parochis numerari  
solet, intercesserit Didacus Torres, aïens, quartam hujus summæ partem homi-  
nibus Religiosis moderatè, & non lautè, viventibus suffecturam. Quæ res quan-  
tum valeat ad diminuendam tritam illam, de Societatis habendi cupidine, vulgi  
opinionem, benevolus Lector dispiciet. Post Alfari discessum, in Assumptionis  
urbe turbatum est, civium Primoribus ejus decretis agrè se accommodantibus,  
odiumque in Societatem derivantibus: & res eò processit, ut Socii omnes cum  
Rectore, injuriam plebis declinantes, ad suburbanam villam se substraxerint. Per  
trimestre spatium tenuit vexatio, donec vir potens benè magnam Indorum sibi  
commendatorum turbam Pratori sisteret, sanctè affirmans ad institas passurum se  
potiùs adigi, quàm ut Indorum servitio personali abuteretur. Dicto adhibuit con-  
stantiam: nam manumissos impostero ut filios aluit, eatenus eorum operâ utens,  
quatenus leges Regiæ permitterent. Valuit factum ad molliendos plerorumque  
civium animos, paulatim sese rationi inclinantium, eoque Societatem magis æsti-  
mantium, quò utiliora fuisset. Quamquam nunquam defuere ab hac radice in-  
sectantium surculi, tam Societati ob religiosam tolerantiam gloriosi, quàm vexato-  
ribus ob inconsiderationem noxii.

**D**IDACUS Torres, ordinatis Barbaricarum expeditionum per Paraquariam  
instituendarum rebus, ad Tucumania metropolim, ubi multorum mortalium

conatu